



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De gloria Irmindrudis Abbatissae in Ditkirgen, cap. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ergo quæ tristitiæ sunt omisiss, veniamus ad præmia patriæ cœlestis.

## CAPVT XLIII.

*De gaudiis cœlestis patriæ.*

*Luc. 23.*

**I**N monasterio sanctimonialium, quod Dytkirchē dicitur, quod in Bonnensi ciuitate situm est, Abbatissa quædam fuit, nomine Irmendrudis. Erat enim virgo corpore, amatrix imò in domo eadem reparatrix disciplinæ, & totius norma iustitiæ: cum verò moritura esset, passionem Domini coram se legi faciebat, & cum ventum fuisset ad locum illum; In manus tuas commendo spiritum meum, ex multa pietate cordis hæc verba, quæ ei vltima fuerunt, dixit: O amatissime virorū: statimq; agonizās cū CHRISTO & in manus CHRISTI spiritum emisit. Quæ cum post mortem beatæ Aszellinæ apparuisset, & illa de statu eius sciscitaretur; respondit: Statim in ipsa hora, quando anima mea egressa est de corpore, fuit ante Deum. Et illa; Quare soror non apparuisti mihi per hos triginta dies? Respondit Abbatissa: Ego fui in gloria, & tu circa reliquias sanctarum virginum vndecim millium eras occupata, nec te volui impedire. Huius sepultura cuidam sorori, diu antequam Abbatissa efficeretur, præstensa est. De alia siquidem domo, propter religiositatem, ab Episcopo Philippo assumpta fuerat, eratque soror Cæsarii monachi nostri, quondam Abbatis Prumiensis.

## CAPVT XLIIII.

*Psal. 47.*

**H**Æc Aszellina habebat quandam spiritualem sororē in congregatione vnicè dilectā: quæ cū moritura esset, rogata est à beata Aszellina, vt sibi post mortem appareret, quod & fecit. Nā cum die quadam staret in oratione Aszellina, soror defuncta apparens ei in sphaera ignea, sciscitāti de suo statu, versiculo Dauidico respondit, dicens: Sicut audiuius, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri, &c. nihilq; aliud loquens, oculis eius subtrac̄ta est. APOLLON. Satis breuiter satisq; plenè, tam suum præmium, quàm supernæ ciuitatis gloriam ostendit. CÆSARIVS: Cū mortuus esset beatæ